



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Commentarivs Martini Lvtheri in Ionam Prophetam**

**Luther, Martin**

**Haganoæ, [15]26**

**VD16 B 3890**

Martinvs Lvther Vincentio Obsopoeo Svo In Domino.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35968**

# MARTINVS

LUTHER VINCENTIO

OBSOPOE O S V O

IN DOMINO.



RATIAM ET  
pacem in domino. Quod  
inter cætera mea etiam Io-  
nam prophetam , per me  
uernaculo commētario tra-  
ctatum, atinitate donasti,  
Vincenti charissime , per-  
gratum est mihi , tantū abest ut moleste feram , quod  
tu aliquoties suspicatus es . Illi sanè molesti sunt , qui  
non modo quæ contempta sunt , sed etiam aliorum  
optima quæq; , sic uertunt , ut penitus subuertant ,  
cum sint & linguarum imperiti , & mire indiligen-  
tes , ut taceam quantū errent nō raro in sensu , adeo ,  
ut negatuum reddant , quod est affirmatiue , & edi-  
uerso dictum . Tibi autem donatum uideo cum alijs  
paucis donum hoc non paruum , ut pure , proprie &  
diligenter uertas latine mea uernacula . Itaq; gaudeo  
Ionam meum per te latine loqui . Nō q; titillet me glo-  
ria

P R A E F A T I O

ria inuulgati operis in aliena lingua, quā frustra spe-  
rarē hoc seculo, sic Lutherum ilium misserum cōtem-  
nente per omnes, & ubiq;, ut uere cantare, uel plora-  
re potius aūsim cum Christo, Ego uermis et nō ho-  
mo, opprobrium hominum, & abiectione plebis.  
Sed quod bona conscientia lator, nihil mali, nihil  
hæretici, nihil seditionis in Iona meo, sed pia, sana  
& salutaria lecturos esse pios & bonos lectores.  
Dum interim inquieti illi & curiosi spiritus blasphemis  
audacibus conturbant orbem, & in sua monstral-  
trahunt, etiam pios & quietos animos. Scilicet Sata-  
nae ista nequitia est, ut impijs dogmatibus, si perdere  
non potest omnes, occupet tamen & uexet omnes,  
ne puri & liberi, solis & puris doctrinis Christi stu-  
deant. Quo nomine & tibi iam secundo gratulor,  
qui in tantis turbis prophetarum furentium, non ce-  
dis, neq; mea impotentia scandalizaris, simpliciter  
autem eligis sincera & solida, in quibus nobis, immo  
Christo cooperaris, ad propagandam notitiam san-  
ctorum, hoc est fidem quae est in ipsum. Macte fra-  
ter, perge ut coepisti, & dominus te augebit, & ser-  
uabit. Placet autem ut Iohāni Secerio Haganōe libel-  
lum cūdēuin tradas, quod multo maioribus officijs  
uir iste dignus sit, & in primis fidus & diligens ty-  
pographus. Nam quod à quibusdam infamatur,

A ij

P R A E F A T I O .

quasi is Seckerius sit , quem in præfatione postulari quadam, accusavi furti, puto fieri , aut ignorātia seu fallacia æquiuci nōminis , aut malitia hominum, qui hoc prætextu cupiunt homini immerito incommodare, sicut solet ubiq; Satā nihil facere nisi nocere . Nam in eadem præfatione satis clare testor Vuittembergæ fuisse in nostra Typographia illū Seccerium, quem uocant Locatorem , qui me inscio exemplar imperfēctum sustulit. Itaq; hoc meo testimonio , hunc meum Seccerium, Ionae mei Latini excusorem, excusatum facio apud omnes bonos, ne grauetur fortuna seu infutio potius, similis nominis . Hoc uolui adiectū epistolæ huic , officij caussa . Tu uero & incenti in Christo bene uale . Vuittembergæ uicesima quinta Aprilis

Anno. M. D. XXVI.

P R A E F A T I O  
I N I O N A M P R O  
P H E T A M .

Via huius mundi princeps Diabolus seminatis  
Q ubiq; erronearum doctrinarum zyzanijs, Chri-  
stianorum infecit pectora, adeo, ut Ger-  
mania iam sectis et spiritibus sit refertiſſima, quorum  
ope